

pretium solvi, & fidem de pretio haberi, §. *venditæ Instit. de R. D.* nedum exceptorum restitutio peti potest sub eo obtentu, quod pretium nondum solutum fuerit. Fides enim de pretio habita est, cum ante pretii solutionem traditio fit, & ablatio permittitur. *L. si soluturus 39. in fin. de solut.* Postquam injustum est negare dominii acquisiti potestatem. *L. penult. C. de Contr. Emt.* super est tunc venditori actio venditi de pretio non repetitio rei venditæ, ad quam non competit actio, nam traditione, aut quod ejus loco est, dominium transfertur, *L. 20. C. de Pact.* nisi dominio ejusdem, donec pretium solvitur, reservato, *Mev. Part. IV. Dec. 206.*

Th. VII.

Porro etiam acquiritur possessio per traditionem instrumentorum ipsius rei, *L. 1. Cod. de Donat. Dur. spec. Libr. IV. part. 3. de Emt. Vend.* sed quid si in instrumento continetur, *vendo & trado tibi*, nunquid præsumetur traditionem factam esse? Videtur, quod sic, quia standum est instrumento, nisi contra probetur. *L. cum precibus. C. de prob. L. si quis uvas ff. de Usufr.* Quidam distinguunt, an res, quæ venditur, sit in præsentia, id est, in illa civitate vel in absentia ut primo casu videatur